ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissimo, doctissimoque viro D.
Constantino Hugenio,
C. Barlaeus S. P. D.

Vix nautae tradideram literas meas, cum domum revecto tuae tradebantur, Nobilissime Hugeni. Videmur simul in easdem cogitationes incidisse, ut & tu mihi, ego tibi scriberem. Quae de Vander-Burchij negligentia scribis aegre fero. promiserat enim mihi se accuratum curaturum chartas meas; cum recta ad castra cogitaret. Sed video Lentulum hunc et officii sui & rerum mearum immemorem alicubi in via à Leydensibus Scriniis, Brosterhusium aliosque innuo, detentum diutius. Cavebo, ne posthac per amicos istiusmodi curem. Quod in Tropaeo Arausionensi desideres demorsos ungues, non miror. cum ne biduum quidem impenderim. Nec tamen puto valde carituri istum catulum. Adeo enim in isto carmine mihi destitutus sum, ut arbitror me non scripsisse melius. Da veniam si à doctissimo Trobatio dissentiam. Tropaeum genium habet, nihilque affectatum, at Athenaeum, quia diu inter manus haesit & interruptis vicibus scriptum est, pupae similius est, quam nativo foetui. Vide, ut in hoc consarcinaverim sententias & acutius dicta, quam conglomeraverim totam fere Ethicam et Politicam, sine ullius poetae celebrioris exemplo. Claudianusque in laudibus Honorii idem facit, sed toto libro argumentum istud exequitur, & late diffundit. Ego brevi poemate quasi Iliadem nuci inclusurus nimis multa complexus sum. Quare si me operis mei arbitrum esse pateris, viginti postremos Tropaei versus toti Athenaeo praefero. imo unicam illam & brevem nautarum nostratium descriptionem. Aut meos oculos φιλαυτία aliqua caepit, aut haec. Sed convivae sumus, Vir summe, poscentes vario multum diversa palato. Elaboratius est Athenaeum, sed nihil necesse habet, quia facilitatem carminis ejus desidero. Quae de D. Brosterhusio scribis ad animum revocamus et ego et D. Vossius. Sed haec hic admodum sunt Rectorum consilia. Si nostram sententiam audire volunt, compos voti fiet Vir mihi amicissimus & meritissimus. Mitto, quod petis Epigramma ad Dominum Christophorum à Dhona. Iam enim non vacat plura scribere, cum adversus Stoicos non valde ineptos philosophos mihi disputandum sit. Posthac versuum ero parcus scriptor, cum me iam Dialectica & Physica ab amoenioribus studijs in spinas suas et dumeta revocant. Vale Vir nobiliss. & amplissime, cum uxore et liberis. Amstelod. XIX Jan. CIↃIↃCXXXII

Quo die primam Sabini lectionem, uxor mihi filium peperit. felicis ostentum.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 52
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/653

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 52
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/653

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 52
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/653

Aen mijn heer
mijn heer Constantinus
Huygens Ridder, heer van
Zuylichem, ende secretaris van
syn Hoocheit

Hage

Dordrecht

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 52
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/653